

CLAUDIEN

CARMINA MINORA (1424 vers)

AD STILICHONEM

C_1 v.1 Solitas galea fulgere comas,
 2 Stilicho, molli necte corona.
 3 Cessent litui saevumque procul
 4 Martem felix taeda releget.
 5 Tractus ab aula rursus in aulam
 6 redeat sanguis. Patris officiis
 7 junge potenti pignora dextra.
 8 Gener Augusti pridem fueras,
 9 nunc rursus eris socer Augusti.
 10 Quae jam rabies livoris erit ?
 11 Vel quis dabitur color invidiae ?
 12 Stilicho socer est, pater est Stilicho.

DESCRIPTIO PORTVS SMYRNENSIS

C_2 v.1 Urbs in conspectu montana cacumina velat
 2 tranquillo praetenta mari. Ducentia portum
 3 cornua pacatas removent Aquilonibus undas.
 4 Hic exarmatum terris cingentibus aequor
 5 clauditur et placidam discit servare quietem.

AD AETERNALEM

C_3 v.1 Quidquid Castalio de gurgite Phoebus anhelat,
 2 quidquid fatidico mugit cortina recessu,
 3 carmina sunt ; et verba negant communia Musae.
 4 Carmina sola loquor : sic meus implet Apollo.

DESCRIPTIO ARMENTI

C_4 v.1 Non tales quondam species tulit armentorum
 2 tellus tergemino subdita Geryonae.
 3 Non tales, Clitumne, lavas in gurgite tauros,
 4 Tarpeio referunt quos pia vota Jovi.
 5 Non talis Tyrias sparsisse juvenis harenas
 6 dicitur, optatum quando revexit onus.
 7 Non Cretaeus ager nec amati conscia tauri
 8 Cnosos nec similes paverit Ida feros.
 9 Ipse et dispariles monstro commissus in artus
 10 qui crimen matris prodidit ore novo
 11 Cres puer haud talem potuisset reddere formam,
 12 portassent totum si fera membra patrem.

"EST IN SECESSV LONGO LOCVS"

C_5 v.1 Est procul ingenti regio summota recessu,
 2 insula qua resides fluctus mitescere cogit
 3 in longum producta latus, fractasque per undas
 4 ardua tranquillo curvantur bracchia portu.

"RIMANTI TELVM IRA FACIT"

C_6 v.1 In jaculum quodcumque gerit dementia mutat.

2 Omnibus armatur rabies. Pro cuspide ferri
 3 cuncta volant, dum dextra ferox in vulnera saevit.
 4 Pro telo geritur quidquid suggesserit ira.

DE QUADRIGA MARMOREA

C_7 v.1 Quis dedit innumeros uno de marmore vultus ?
 2 Surgit in aurigam currus, paribusque lupatis
 3 unanimi frenantur equi : quos forma diremit,
 4 materies cognata tenet discrimine nullo.
 5 Vir redit in currum ; ducuntur ab axe jugales ;
 6 ex alio se quisque facit. Quae tanta potestas ?
 7 Una silex tot membra ligat ductusque per artem
 8 mons patiens ferri varios mutatur in artus.

DE POLYCASTA ET PERDICCA

C_8 v.1 Quid non saevus Amor flammaram numine cogat ?
 2 Sanguinis affectu mater amare timet
 3 pectore dum niveo miserum tenet anxia nutrix,
 4 inlicitos ignes jam fovet ipsa parens.
 5 Ultrices pharetras tandem depone, Cupido.
 6 Consule jam Venerem : forsitan et ipsa dolet.

DE HYSTRICE

C_9 v.1 Audieram, memorande, tuas Stymphale, volucres
 2 spicula vulnifico quondam sparsisse volatu,
 3 nec mihi credibilis ferratae fabula pinnae
 4 visa diu. Datur ecce fides et cognitus hystrix
 5 Herculeas adfirmat aves. Os longius illi
 6 adsimulat porcum. Mentitae cornua saetae
 7 summa fronte rigent. Oculis rubet igneus ardor.
 8 Parva sub hirsuto catuli vestigia dorso.
 9 Hanc tamen exiguum miro natura tueri
 10 praesidio dignata feram : stat corpore toto
 11 silva minax, jaculisque rigens in proelia crescit
 12 picturata seges ; corium cute fixa tenaci
 13 alba subit radix alternantesque colorum
 14 tincta vices spatii internigrantibus exit
 15 in solidae speciem pinnae tenuataque furtim
 16 levis in extremum sese producit acumen.
 17 Sed non haec acies ritu silvestris echini
 18 fixa manet. Crebris propugnat jactibus ultro
 19 et longe sua membra tegit, tortumque per auras
 20 evolat excusso nativum missile tergo.
 21 Interdum fugiens Parthorum more sequentem
 22 vulnerat ; interdum positus velut ordine castris
 23 terrificum densa mucronem verberat unda
 24 et consanguineis hastilibus asperat armos :
 25 militat omne ferae corpus vibrataque rauco
 26 terga fragore sonant. Stimulis accensa tubarum
 27 agmina conlatis credas conflagere signis :
 28 tantus in angusto strepitus furit. Additur armis
 29 calliditas parcusque sui tumor iraque numquam
 30 prodiga telorum, caute contenta minari
 31 nec nisi servandae jactus inpendere vitae.
 32 Error abest : certum sollertia destinat ictum
 33 nil spatio fallente modum, servatque tenorem
 34 mota cutis doctique regit conamina nisus.
 35 Quid labor humanus tantum ratione sagaci

36 proficit ? Eripiunt trucibus Gortynia capris
 37 cornua ; subjectis eadem lentescere cogunt
 38 ignibus ; intendunt taurino viscere nervos ;
 39 instruitur pinnis ferroque armatur harundo.
 40 Ecce brevis propriis munitur bestia telis
 41 externam nec quaerit opem ; fert omnia secum :
 42 se pharetra, sese jaculo, sese utitur arcu.
 43 Unum animal cunctas bellorum possidet artes.
 44 Quod si omnis nostrae paulatim industria vitae
 45 fluxit ab exemplis, quidquid procul adpetit hostem,
 46 hinc reor inventum, morem hinc traxisse Cydonas
 47 bellandi Parthosque retro didicisse ferire
 48 prima sagittiferae pecudis documenta secutos.

DE BIRRO CASTOREO

C_10 v.1 Nominis umbra manet veteris ; nam dicere birrum,
 2 si Castor juret, castoreum nequeo.
 3 Sex emptus solidis ! Quid sit, jam scire potestis :
 4 si mihi nulla fides, credite vel pretio.

IN SEPVLCHRVM SPECIOSAE

C_11 v.1 Pulchris stare diu Parcarum lege negatur.
 2 Magna repente ruunt ; summa cadunt subito.
 3 Hic formosa jacet, Veneris sortita figuram,
 4 egregiumque decus invidiam meruit.

DE BALNEIS QVINTIANIS QVAE IN VIA POSITA ERANT

C_12 v.1 Fontibus in liquidis paulum requiesce, viator,
 2 atque tuum rursus carpe refectus iter.
 3 Lympharum dominum nimium miraberis, hospes,
 4 inter dura viae balnea qui posuit.

IN PODAGRVM QVI CARMINA SVA NON STARE DICEBAT

C_13 v.1 Quae tibi cum pedibus ratio ? Quid carmina culpas ?
 2 Scandere qui nescis, versiculos laceras !
 3 " Claudicat hic versus, haec " inquis "syllaba nutat ",
 4 atque nihil prorsus stare putas, podager.

AD AD MAXIMVM QUI EI MEL MISIT

C_14 v.1 Dulcia dona mihi semper tu, Maxime, mittis,
 2 et, quidquid mittis, mella putare decet.

DE PAVPERE AMANTE

C_15 v.1 Paupertas me saeva domat dirusque Cupido :
 2 sed toleranda fames, non tolerandus amor.

DE EODEM

C_16 v.1 Esuriens pauper telis incendor amoris.
 2 Inter utrumque malum deligo pauperiem.

DE PIIS FRATRIBVS ET DE STATVIS EORVM QVAE SVNT APVD CATINAM

C_17 v.1 Aspice sudantes venerando pondere fratres,
 2 divino meritis semper honore coli,
 3 justa quibus rapidae cessit reverentia flammae
 4 et mirata vagas reppulit Aetna faces.
 5 Complexi manibus fultos cervice parentes
 6 attollunt vultus adcelerantque gradus.
 7 Grandaevis gemina sublimes prole feruntur

8 et cara notos implicuere mora.
 9 Nonne vides ut saeva senex incendia monstret,
 10 ut trepido genetrix invocet ore deos ?
 11 Erexit formido comam, perque omne metallum
 12 fusus in attonito palluit aere tremor.
 13 In juvenum membris animosus cernitur horror
 14 aequae oneri metuens inpavidusque sui.
 15 Rejectae vento chlamydes. Dextram exerit ille
 16 contentus laeva sustinuisse patrem ;
 17 ast illi duplices in nodum colligit ulnas
 18 cautior in sexu debiliore labor.
 19 Hoc quoque praeteriens oculis ne forte relinquant
 20 artificis tacitae quod meruere manus :
 21 nam consanguineos eadem cum forma figuret,
 22 hic propior matri fit tamen, ille patri.
 23 Dissimiles annos sollertia temperat artis :
 24 alter in alterius redditur ore parens,
 25 et nova germanis paribus discrimina praebens
 26 divisit vultus cum pietate faber.
 27 O bene naturae memores, documenta supernae
 28 justitiae, juvenum lumina, vota senum,
 29 qui spretis opibus medios properastis in ignes
 30 nil praeter sanctam tollere canitiem.
 31 Haud equidem inmerito tanta virtute repressas
 32 Enceladi fauces obriguisset reor.
 33 Ipse redundantem frenavit Mulciber Aetnam,
 34 laederet exempli ne monumenta pii.
 35 Senserunt elementa fidem : patri adfuit aether
 36 terraque maternum sedula juvit onus.
 37 Quod si notus amor provexit in astra Laconas,
 38 Aenean Phrygio raptus ab igne pater,
 39 si vetus Argolicos inlustrat gloria fratres,
 40 qui sua materno colla dedere jugo,
 41 cur non Amphinomo, cur non tibi, fortis Anapi,
 42 aeternum Siculus templa dicavit honos ?
 43 Plura licet summae dederit Trinacria laudi,
 44 noverit hoc majus se genuisse nihil,
 45 nec doleat damnis quae devius intulit ardor,
 46 nec gemat exustas igne furente domos :
 47 non potuit pietas flamma cessante probari ;
 48 emptum est ingenti clade perenne decus.

DE MVLABVS GALLICIS

C_18 v.1 Aspice morigeras Rhodani torrentis alumnas
 2 imperio nexas imperioque vagas,
 3 dissona quam varios flectant ad murmura cursus
 4 et certas adeant voce regente vias.
 5 Quamvis quaeque sibi nullis discurrat habenis
 6 et pateant duro libera colla jugo,
 7 ceu constricta tamen servit patiensque laborum
 8 barbaricos docili concipit aure sonos.
 9 Absentis longinqua valent praecepta magistri
 10 frenorumque vicem lingua virilis agit.
 11 Haec procul angustat sparsas spargitque coactas ;
 12 haec sistit rapidas, haec properare facit.
 13 Laeva jubet ? Laevo deducunt limite gressum.
 14 Mutavit strepitum ? Dexterora petunt.
 15 Nec vinclis famulae nec libertate feroces,

16 exutae laqueis, sub ditione tamen.
 17 Incessuque pares et fulvis pellibus hirtae
 18 esseda concordēs multisonora trahunt.
 19 Miraris si voce feras pacaverit Orpheus,
 20 cum pronas pecudes Gallica verba regant ?

EPISTVLA AD GENNADIVM EX PROCONSVLE
 C_19 v.1 Italiae commune decus, Rubiconis amoeni
 2 incola, Romani fama secunda fori,
 3 Graiorum populis et nostro cognite Nilo
 4 (utraque gens fasces horret amatque tuos),
 5 carmina jejunas poscis solantia fauces ?
 6 Testor amicitiam nulla fuisse domi.
 7 Nam mihi mox nidum pinnis confisa relinquunt
 8 et lare contempto non reditura volant.

DE SENE VERONENSI
 C_20 v.1 Felix, qui patriis aevum transegit in arvis,
 2 ipsa domus puerum quem videt, ipsa senem,
 3 qui baculo nitens in qua reptavit harena
 4 unius numerat saecula longa casae.
 5 Illum non vario traxit fortuna tumultu,
 6 nec bibit ignotas mobilis hospes aquas ;
 7 non freta mercator tremuit, non classica miles,
 8 non rauci lites pertulit ille fori.
 9 Indocilis rerum, vicinae nescius urbis,
 10 aspectu fruitur liberiore poli.
 11 Frugibus alternis, non consule computat annum :
 12 autumnum pomis, ver sibi flore notat.
 13 Idem condit ager soles idemque reducit,
 14 metiturque suo rusticus orbe diem,
 15 ingentem meminit parvo qui germine quercum
 16 aequaevumque videt consenuisse nemus,
 17 proxima cui nigris Verona remotior Indis
 18 Benacumque putat litora rubra lacum.
 19 Sed tamen indomitae vires firmisque lacertis
 20 aetas robustum tertia cernit avum.
 21 Erret et extremos alter scrutetur Hiberos :
 22 plus habet hic vitae, plus habet ille viae.

DE THEDORO ET HADRIANO
 C_21 v.1 Mallius indulget somno noctesque diesque ;
 2 insomnis Pharius sacra profana rapit.
 3 Omnibus hoc, Italae gentes, exposcite votis,
 4 Mallius ut vigilet, dormiat ut Pharius.

DEPRECATIO AD HADRIANVM
 C_22 v.1 Usque adeone tuae producit impetus irae ?
 2 Nullus erit finis lacrimis ? Subitisne favorem
 3 permutas odiis ? Quo mens ignara nocendi,
 4 quo sensus abiere pii ? Tantumne licebit
 5 invidiae ? Tantum strepitus valuere maligni ?
 6 Me dolor incautus, me lubrica duxerit aetas,
 7 me tumor inpulerit, me devius egerit ardor :
 8 te tamen haud decuit paribus concurrere telis.
 9 Humanae superos numquam tetigere querellae
 10 nec vaga securum penetrant convicia caelum.
 11 Excessit jam poena modum. Concede jacenti.

12 En adsum ; veniam confessus crimina posco.
 13 Manibus Hectoreis atrox ignovit Achilles ;
 14 ultrices Furias matris placavit Orestes ;
 15 reddidit Alcides Priamo, quas ceperat, arces.
 16 Pellaeum juvenem regum flexere ruinae :
 17 Dareum famuli manibus doluisse peremptum
 18 fertur et ingenti solatus fata sepulchro ;
 19 tradita captivo spatiosior India Poro.
 20 Conditor hic patriae ; sic hostibus ille pepercit ;
 21 hunc virtus tua digna sequi. Quemcumque deorum
 22 laesimus, insultet jugulo pascatque furorem.
 23 Gratia defluxit, sequitur feralis egestas ;
 24 desolata domus, caris spoliatur amicis :
 25 hunc tormenta necant, hic undique truditur exul.
 26 Quid superest damnis ? Quae saeva pericula restant ?
 27 Emollit rabiem praedae mortisque facultas.
 28 Praetereunt subjecta ferae, torvique leones,
 29 quae stravisse calent, eadem prostrata relinquunt
 30 nec nisi bellantis gaudet cervice juveni
 31 nobiliore fames. Secuit nascentia vota
 32 livor et ingesto turbavit gaudia luctu :
 33 jamjam suppliciis fessos humilesque serenus
 34 respice. Quid tanta dignaris mole clientem ?
 35 In brevibus numquam sese probat Aeolus antris,
 36 nec capit angustus Boreae certamina collis :
 37 Alpes ille quatit, Rhodopeia culmina lassat.
 38 Incubuit numquam caelestis flamma salictis
 39 nec parvi frutices iram meruere Tonantis :
 40 ingentes quercus, annosas fulminat ornos.
 41 Hoc pro supplicibus ramis, pro fronde Minervae,
 42 hoc carmen pro ture damus. Miserere tuorum.
 43 Me, precor, heu, me redde mihi gravibusque medere
 44 vulneribus vitamque jube famamque reverti.
 45 Quae per te cecidit, per te fortuna resurgat.
 46 Sanus Achilleis remeavit Telephus herbis,
 47 cujus pertulerat vires, et sensit in uno
 48 letalem placidamque manum : medicina per hostem
 49 contigit, et pepulit quos fecerat ipse dolores.
 50 Quod si nec precibus fletu nec frangeris ullo,
 51 eripe calcatis non prospera cingula Mysis,
 52 eripe militiam, comitem me pelle sodali.
 53 Scilicet insignis de paupere vate triumphus !
 54 Scilicet egregiis ornabere victor opimis !
 55 Inruat in miseros cognata potentia cives ;
 56 audiat haec commune solum longaeque carinis
 57 nota Pharos, flentemque attollens gurgite vultum
 58 nostra gemat Nilus numerosis funera ripis.

DEPRECATIO IN ALETHIVM QVAESTOREM

C_23 v.1 Sic non Aethiopum campos aestate pererrem
 2 nec Scythico brumam sub Jove nudus agam,
 3 sic non imbriferam noctem ducentibus Haedis
 4 Ionio credam turgida vela mari,
 5 sic non Tartareo Furiarum verbere pulsus
 6 irati relegam carmina grammatici :
 7 nulla meos traxit petulans audacia sensus,
 8 liberior justo nec mihi lingua fuit.
 9 Versiculos, fateor, non cauta voce notavi,

10 heu miser ! Ignorans quam grave crimen erat.
 11 Orpheos alii libros inpune lacessunt
 12 nec tua securum te, Maro, fama vehit ;
 13 ipse parens vatium, princeps Heliconis, Homerus
 14 iudicis exceptit tela severa notae.
 15 Sed non Vergilius, non accusaret Homerus :
 16 neuter enim quaestor, pauper uterque fuit.
 17 En moveo plausus ! En pallidus omnia laudo,
 18 et clarum repeto terque quaterque "sophos" !
 19 Ignoscat placidus tandem flatusque remittat
 20 et tuto recitet quod libet ore : placet.

DE LVCVSTA

C_24 v.1 Horret apex capitis ; medio fera lumina surgunt
 2 vertice ; cognatus dorso durescit amictus.
 3 Armavit natura cutem dumique rubentes
 4 cuspidibus parvis multos acuere rubores.

EPITHALAMIVM PALLADIO ET CELERINAE

I PRAEFATIO

C_25 v.1 Carmina per thalamum quamvis festina negare
 2 nec volui genero nec potui socero.
 3 Hic socius, dux ille mihi, nostrique per aulam
 4 ordinis hic consors, emicat ille prior.
 5 Hunc mihi conjungit studiis communibus aetas ;
 6 illum praeponit vel senium vel honos.
 7 Carmen amor generi, soceri reverentia poscit
 8 officio vatis, militis obsequio.

II EPITHALAMIUM

C_26 v.1 Forte Venus blando quaesitum frigore somnum
 2 vitibus intexti gremio successerat antri
 3 densaque sidereos per gramina fuderat artus
 4 adclinis florum cumulo ; crispatur opaca
 5 pampinus et musto sudantem ventilat uvam.
 6 Ora decet neglecta sopor ; fastidit amictum
 7 aestus et exuto translucent pectore frondes.
 8 Idaliae juxta famulae triplexque vicissim
 9 nexa sub ingenti requiescit Gratia quercu.
 10 Pinnati passim pueri quo quemque vocavit
 11 umbra jacent ; fluitant arcus ramisque propinquis
 12 pendentes placido suspirant igne pharetrae.
 13 Pars vigiles ludunt aut per virgulta vagantur,
 14 scrutantur nidos avium vel roscida laeti
 15 mala legunt, donum Veneri, flexusque secuntur
 16 palmitis et summas pinnis librantur in ulmos,
 17 defendunt alii lucum Dryadasque procaces
 18 spectandi cupidas et rustica numina pellunt
 19 silvestresque deos, longeque tuentibus antrum
 20 flammea lascivis intendunt spicula Faunis,
 21 cum subito varius vicina clamor ab urbe
 22 et fausti juvenum plausus mixtaeque choreis
 23 auditae per rura lyrae. Celerina per omnes
 24 Italiae canitur montes omnisque maritum
 25 Palladium resonabat ager. Pervenit ad aures
 26 vox jucunda deae strepituque excita resedit
 27 et reliquum nitido detersit pollice somnum

28 utque fuit, turbata comas, intecta papillas,
 29 mollibus exurgit stratis interque suarum
 30 agmen et innumeros Hymenaeum quaerit Amores.
 31 (Hunc Musa genitum legit Cytherea ducemque
 32 praefecit thalamis ; nullum junxisse cubile
 33 hoc sine nec primas fas est attollere taedas.)
 34 Conspicitur tandem. Platano namque ille sub alta
 35 fusus inaequales cera texebat avenas
 36 Maenaliosque modos et pastoralia labris
 37 murmura temptabat relegens orisque recursu
 38 dissimilem tenui variabat harundine ventum.
 39 Restitit ut vidit Venerem, digitisque remissis
 40 ad terram tacito defluxit fistula lapsu.
 41 Dulce micant oculi ; niveas infecerat igni
 42 solque pudorque genas ; dubiam lanuginis umbram
 43 caesaries intonsa tegit. Prior ipsa silentem
 44 conpellat : "Numquamne, puer, dilecta relinques
 45 carmina ? Maternis numquam satiabere donis,
 46 dedite Musarum studio nimiumque parentis
 47 aemule ? Quid medio tecum modularis in aestu ?
 48 Jamne tibi sordent citharae ? Jam lustra Lycaeii
 49 atque pecus cordi redituraque rupibus echo ?
 50 Huc ades et tantae nobis edissere causas
 51 laetitiae, cui pompa viro tam clara resultet,
 52 quae nova dotetur virgo ; patriamque genusque
 53 pande, quibus terris orti, quo semine ducti.
 54 Haud ignarus enim, nec te conubia fallunt
 55 ulla ; tuo primae libantur foedere noctes."
 56 Ille refert : " Equidem dudum te, diva, morantem
 57 mirabar, quod adhuc tanti secreta maneres
 58 conjugii. Non parva tibi mandatur origo.
 59 Fascibus insignes et legum culmine fultae
 60 convenere domus et qui lectissimus orbi
 61 sanguis erat. Rubris quae fluctibus insula latrat,
 62 quis locus Aethiopum, quae sic inpervia famae
 63 secessit regio, quo non rumore secundo
 64 Palladii penetravit amor mentisque benigna
 65 temperies doctique sales et grata senectus ?
 66 Per cunctos iit ille gradus aulaeque labores
 67 emensus tenuit summae fastigia sedis
 68 Eoium stabili moderatus jure senatum.
 69 Hic splendor juveni. Cunabula prima puellae
 70 Danubius veteresque Tomi. Mavortia matris
 71 nobilitas spoliis armisque exultat avitis
 72 inmensamque trahit Celerini robore lucem,
 73 qui quondam Meroen jussus Nilumque tueri,
 74 cum sibi post obitus et Parthica fulmina cari
 75 sceptrum daret miles rebusque inponere vellet,
 76 despexit fremitus et praetulit otia regno.
 77 Respuit ingestum, quod vi, quod poscere ferro
 78 posthabita pietate solent. Tum purpura primum
 79 inferior virtute fuit meruitque repulsam
 80 obvia majestas. Doluit Fortuna minorem
 81 se confessa viro. Magnum delata potestas,
 82 majorem contempta probat. Cognomina sumpsit
 83 plena ducum genitor. Paulatim vectus ad altum
 84 princeps militiae, qua non inlustrior extat
 85 altera, cunctorum tabulas adsignat honorum,

86 rectorum tractat numeros, constringit in unum
 87 sparsas imperii vires cuneosque recenset
 88 dispositos : quae Sarmaticis custodia ripis,
 89 quae saevis objecta Getis, quae Saxona frenat
 90 vel Scottum legio, quantae cinxere cohortes
 91 Oceanum, quanto pacatur milite Rhenus.
 92 Casta domus, sincera fides, industria sollers.
 93 Elegit Stilicho ; nil ultra laudibus addi
 94 iudiciove potest. Tali nubente puella
 95 nonne tibi cessare nefas ? Duc protinus omnes,
 96 duc age. Marcentes cupio quassare coronas
 97 et vibrare faces et noctem ducere ludo.
 98 Haec quoque non vilem jam fistula commodat usum,
 99 responsura choris. " Vix haec Hymenaeus ; at illa
 100 fontibus abluitur gelidis legemque capillo
 101 reddit et ornatum formae prelisque solutis
 102 Mira Dionaeae sumit velamina telae.
 103 Floribus extruitur currus ; juga floribus halant ;
 104 florea purpureas adnectunt frena columbas.
 105 Undique concurrunt volucres, quaecumque frementem
 106 permulcent Athesim cantu, quas Larius audit,
 107 quas Benacus alit, quas excipit amne quieto
 108 Mincius : ereptis obmutuit undaquerellis.
 109 Eridani ripas et raucae stagna Padusae
 110 diffugiens nudavit olor. Laetantur Amores
 111 frenatisque truces avibus per nubila vecti
 112 ostentant se quisque deae magnoque tumultu
 113 conflagunt pronique manus in verbera tendunt
 114 atque inpune cadunt : lapsus meliore volatu
 115 consequitur vincitque suos auriga jugales.
 116 Ut thalami tetigere fores, tum vere rubentes
 117 desuper invertunt calathos largosque rosarum
 118 imbres et violas plenis sparsere pharetris,
 119 collectas Veneris prato, quibus ipse pepercit
 120 Sirius et teneras clementi sidere fovit.
 121 Gemmatis alii per totum balsama tectum
 122 effudere cadis, duro quae saucius ungue
 123 Niliacus pingui desudat vulnere cortex.
 124 Adgreditur Cytherea nurum flentemque pudico
 125 detraxit matris gremio. Matura tumescit
 126 virginitas superatque nives ac lilia candor
 127 et patrium flavis testatur crinibus Histrum.
 128 Tum dextram complexa viri dextramque puellae
 129 tradit et his ultro sancit conubia dictis :
 130 " Vivite concordem et nostrum discite munus.
 131 Oscula mille sonent ; livescant bracchia nexu ;
 132 labra ligent animas. Neu tu virtute proterva
 133 confidas, juvenis : non est terrore domanda,
 134 sed precibus placanda tibi. Concede marito
 135 tu quoque neu Scythicas infensis unguibus iras
 136 exercere velis : vinci patiare rogamus.
 137 Sic uxor, sic mater eris. Quid lumina tinguis,
 138 virgo ? Crede mihi, quem nunc horrescis amabis. "
 139 Dixit et aligera geminos arcuque manuque
 140 praestantes de plebe geminos vocat. Puer illicet Aethon
 141 et Pyrois rutilas respersi murice plumas
 142 prosiliunt puroque imbutis melle sagittis
 143 hic nuptam, petit ille virum. Sonuere reducta

144 cornua ; certa Notos pariter sulcavit harundo
 145 et pariter fixis haeserunt tela medullis.

APONVS

C_27 v.1 Fons, Antenoreae vitam qui porrigis urbi
 2 fataque vicinis noxia pellis aquis,
 3 cum tua vel mutis tribuant miracula vocem,
 4 cum tibi plebeius carmina dictet honos
 5 et sit nulla manus, cujus non pollice ductae
 6 testentur memores prospera vota notae,
 7 nonne reus Mysis pariter Nymphisque tenebor,
 8 si tacitus soli praetereare mihi ?
 9 Indictum neque enim fas est a nate relinqui
 10 hunc qui tot populis provocat ora locum ?
 11 Alto colle minor, planis erectior arvis
 12 conspicuo clivus molliter orbe tumet,
 13 ardentis fecundus aquae. Quacumque cavernas
 14 perforat, offenso truditur igne latex.
 15 Spirat putre solum, conclusaque subter anhelo
 16 pumice rimosas perforat unda vias.
 17 Umida flammaram regio, Vulcania terrae
 18 ubera, sulphureae fervida regna plagae.
 19 Quis sterilem non credat humum ? Fumantia vernant
 20 pascua, luxuriat gramine cocta silex,
 21 et, cum sic rigidae cautes fervore liquescant,
 22 contemptis audax ignibus herba viret.
 23 Praeterea grandes effosso marmore sulci
 24 saucia longinquo limite saxa secant.
 25 Herculei (sic fama refert) monstratur aratri
 26 semita, vel casus vomeris egit opus.
 27 In medio, pelagi late flagrantis imago,
 28 caerulus inmenso panditur ore lacus,
 29 ingenti fusus spatio ; sed major in altum
 30 intrat et arcanae rupis inane subit,
 31 densus nube sua tactuque inmitis et haustu,
 32 sed vitreis idem lucidus usque vadis.
 33 Consuluit natura sibi, ne tota lateret,
 34 admisitque oculos quo vetat ire calor.
 35 Turbidus impulsu venti cum spargitur aer
 36 glaucaque fumiferae terga serenat aquae,
 37 tunc omnem liquidi vallem mirabere fundi,
 38 tum veteres hastae, regia dona, micant,
 39 quas inter nigrae tenebris obscurus harenae
 40 discolor abruptum flumen hiatus agit ;
 41 apparent infra latebrae, quas gurges opacus
 42 inplet et abstrusos ducit in antra sinus ;
 43 tum montis secreta patent, qui flexus in arcum
 44 aequora pendenti margine summa ligat.
 45 Viva coronatos adstringit scaena vapores,
 46 et levis exili cortice terra natat,
 47 calcantumque oneri numquam cessura virorum
 48 sustentat trepidum fida ruina pedem.
 49 Facta manu credas : sic levis circuit oras
 50 ambitus et tenuis perpetuusque riget.
 51 Haerent stagna lacu plenas aequantia ripas
 52 praescriptumque timent transiluisse modum ;
 53 quod superat fluvius devexa rupe volutus
 54 egerit et campi dorsa recurva petit.

55 Devehit exceptum nativo spina meatu ;
 56 in patulas plumbi labitur inde vias ;
 57 nullo cum strepitu madidis infecta favillis
 58 despumat niveum fistula cana salem.
 59 Multifidas dispergit opes artemque secutus,
 60 qua jussere manus, mobile torquet iter
 61 et junctos rapido pontes subtermeat aestu
 62 adflatosque vago temperat igne tholos.
 63 Acrior interius rauci cum murmure saxi
 64 spumeus eliso pellitur amne vapor.
 65 Hinc pigras repetunt fessi sudore lacunas,
 66 frigora quis longae blanda dedere morae.
 67 Salve, Paeoniae largitor nobilis undae,
 68 Dardanii, salve, gloria magna soli,
 69 publica morborum requies, commune medentum
 70 auxilium, praesens numen, inempta salus.
 71 Seu ruptis inferna ruunt incendia ripis
 72 et nostro Phlegethon devius orbe calet,
 73 sulphuris in venas gelidus seu decidit amnis
 74 accensusque fluit, quod manifestat odor,
 75 sive pari flammam undarum lance rependens
 76 arbiter in foedus mons elementa vocat,
 77 ne cedant superata sibi, sed legibus aequis
 78 alterius vires possit utrimque pati :
 79 quidquid erit causae, quocumque emitteris ortu,
 80 non sine consilio currere certa fides.
 81 Quis casum meritis adscribere talibus audet,
 82 quis negat auctores haec statuisse deos ?
 83 Ille pater rerum, qui saecula dividit astris,
 84 inter prima coli te quoque sacra dedit
 85 et fragilem nostri miseratus corporis usum
 86 telluri medicas fundere jussit aquas,
 87 Parcarumque colos exoratura severas
 88 flumina laxatis emicuere jugis.
 89 Felices, proprium qui te meruere, coloni,
 90 fas quibus est Aponon juris habere sui.
 91 Non illis terrena lues corrupta nec Austri
 92 flamina nec saevo Sirius igne nocet,
 93 sed, quamvis Lachesis letali stamine damnet,
 94 inde sibi fati prosperiora petunt.
 95 Quod si forte malus membris exuberat umor
 96 languida vel nimio viscera felle virent,
 97 non venas reserant nec vulnere vulnera sanant
 98 pocula nec tristi gramine mixta bibunt :
 99 amissum lymphis reparant inpune vigorem
 100 pacaturque aegro luxuriante dolor.

PHOENIX

C_28 v.1 Oceani summo circumfluus aequore lucus
 2 trans Indos Eurumque viret, qui primus anhelis
 3 sollicitatur equis vicinaque verbera sentit
 4 umida roranti resonant cum limina curru,
 5 unde rubet ventura dies longeque coruscis
 6 nox adflata rotis refugo pallescit amictu.
 7 Haec fortunatus nimium Titanus ales
 8 regna colit solisque plaga defensus iniqua
 9 possidet intactas aegris animalibus oras
 10 saeva nec humani patitur contagia mundi,

11 par volucer superis, stellas qui vividus aequat
12 durando membrisque terit redeuntibus aevum.
13 Non epulis saturare famem, non fontibus ullis
14 adsuetus prohibere sitim, sed purior illum
15 solis fervor alit ventosaque pabula libat
16 Tethyos, innocui carpens alimenta vaporis.
17 Arcanum radiant oculi jubar, igneus ora
18 cingit honos. Rutilo cognatum vertice sidus
19 attollit cristatus apex tenebrasque serena
20 luce secat : Tyrio pinguntur crura veneno.
21 Antevolant Zephyros pinnae, quas caerulus ambit
22 flore color sparsoque super ditescit in auro.
23 Hic neque concepto fetu nec semine surgit,
24 sed pater est prolesque sibi nulloque creante
25 emeritos artus fecunda morte reformat
26 et petit alternam totidem per funera vitam.
27 Namque ubi mille vias longinqua retorserit aestas,
28 tot ruerint hiemes, totidem ver cursibus actum,
29 quas tulit autumnus, dederit cultoribus umbras,
30 tum multis gravior tandem subjungitur annis,
31 lustrorum numero victus : ceu lassa procellis
32 ardua Caucaseo nutat de culmine pinus
33 seram ponderibus pronis tractura ruinam ;
34 pars cadit adsiduo flatu, pars imbre peresa
35 rumpitur, abripuit partem vitiosa vetustas.
36 Jam breve decrescit lumen languetque senili
37 segnis stella gelu, qualis cum forte tenetur
38 nubibus et dubio vanescit Cynthia cornu ;
39 jam solitae medios alae transcurrere nimbos
40 vix ima tolluntur humo. Tum conscius aevi
41 defuncti reducisque parans exordia formae
42 arentes tepidis de collibus eligit herbas
43 et cumulum texens pretiosa fronde Sabaeum
44 conponit, bustumque sibi partumque futurum.
45 Hic sedet et blando Solem clangore salutatur
46 debilior miscetque preces ac supplice cantu
47 praestatura novas vires incendia poscit.
48 Quem procul adductis vidit cum Phoebus habenis,
49 stat subito dictisque pium solatur alumnum :
50 "O senium positura rogo falsisque sepulchris
51 natales habitura vices, qui saepe renasci
52 exitio proprioque soles pubescere leto,
53 accipe principium rursus corpusque caducum
54 desere. Mutata melior procede figura."
55 Haec fatus propere flavis e crinibus unum
56 concussa cervice jacet missoque volentem
57 vitali fulgore ferit. Jam sponte crematur
58 ut redeat gaudetque mori festinus in ortum.
59 Fervet odoratus telis caelestibus agger
60 consumitque senem. Nitidos stupefacta juvencos
61 Luna premit pigrosque polus non concitat axes
62 parturiente rogo ; curis Natura laborat
63 aeternam ne perdat avem, flammisque fideles
64 admonet ut rerum decus inmortale remittant.
65 Continuo dispersa vigor per membra volutus
66 aestuat et venas recidivus sanguis inundat.
67 Victuri cineres nullo cogente moveri
68 incipiunt plumaque rudem vestire favillam.

69 Qui fuerat genitor, natus nunc prosilit idem
 70 succeditque novus : geminae confinia vitae
 71 exiguo medius discrimine separat ignis.
 72 Protinus ad Nilum manes sacrare paternos
 73 auctoremque globum Phariae telluris ad oras
 74 ferre juvat. Velox alienum tendit in orbem
 75 portans gramineo clausum velamine funus.
 76 Innumerae comitantur aves stipatque volentem
 77 alituum suspensa cohors : exercitus ingens
 78 obnubit vario late convexa meatu.
 79 Nec quisquam tantis e milibus obvius audet
 80 ire duci, sed regis iter fragrantis adorant ;
 81 non ferus accipiter, non armiger ipse Tonantis
 82 bella movet : commune facit reverentia foedus.
 83 Talis barbaricas flavo de Tigride turmas
 84 ductor Parthus agit : gemmis et divite cultu
 85 luxurians sertis apicem regalibus ornat,
 86 auro frenat equum, perfusam murice vestem
 87 Assyria signatur acu tumidusque regendo
 88 celsa per famulas acies ditione superbit.
 89 Clara per Aegyptum placidis notissima sacris
 90 urbs Titana colit, centumque adcline columnis
 91 invehitur templum Thebaeo monte revulsis.
 92 Illic, ut perhibent, patriam de more reponit
 93 congeriem vultumque dei veneratus erilem
 94 jam flammae commendat onus, jam destinat aris
 95 semina reliquiasque sui : murrata relucet
 96 limina, divino spirant altaria fumo,
 97 et Pelusiacas productus ad usque paludes
 98 Indus odor penetrat nares completque salubri
 99 tempestate viros et nectare dulcior aura
 100 ostia nigrantis Nili septena vaporat.
 101 O felix heresque tui ! Quo solvimur omnes,
 102 hoc tibi suppeditat vires. Praebetur origo
 103 per cinerem. Moritur te non pereunte senectus.
 104 Vidisti quodcumque fuit ; te saecula teste
 105 cuncta revolvuntur ; nosti quo tempore pontus
 106 fuderit elatas scopulis stagnantibus undas,
 107 quis Phaethonteis erroribus arserit annus,
 108 et clades te nulla rapit solusque superstes
 109 edomita tellure manes : non stamina Parcae
 110 in te dura legunt nec jus habuere nocendi.

NILUS

C_29 v.1 Felix qui Pharias proscindit vomere terras :
 2 nubila non sperat tenebris condentia caelum
 3 nec graviter flantes pluviali frigore Coros
 4 invocat aut arcum variata luce rubentem.
 5 Aegyptos sine nube ferax imbresque serenos
 6 sola tenet : segura poli, non indiga venti
 7 gaudet aquis quas ipsa vehit Niloque redundat,
 8 qui rapido tractu mediis elatus ab Austris,
 9 flammigerae patiens zonae Cancrique calentis,
 10 fluctibus ignotis nostrum procurrit in orbem
 11 secreto de fonte cadens, qui semper inani
 12 quaerendus ratione latet, nec contigit ulli
 13 hoc vidisse caput : fertur sine teste creatus,
 14 flumina profundens alieni conscia caeli.

15 Inde vago lapsu Libyam dispersus in omnem
 16 Aethiopum per mille ruit nigrantia regna
 17 et loca continuo solis damnata vapore
 18 inrorat populisque salus sitientibus errat
 19 per Meroen Blemyasque feros atramque Syenen.
 20 Hunc bibit infrenis Garamans domitorque ferarum
 21 Girraeus, qui vasta colit sub rupibus antra,
 22 qui ramos hebeni, dentes qui vellit eburnos,
 23 et gens compositis crinem vallata sagittis.
 24 Nec vero similes causas crescentibus undis
 25 aut tempus meruit : glacie non ille soluta
 26 nec circumfuso scopulis exuberat imbre,
 27 nam cum tristis hiems alias produxerit undas,
 28 tum Nilum retinent ripae ; cum languida cessant
 29 flumina, tum Nilus mutato jure tumescit.
 30 Quippe, quod ex omni fluvio spoliaverit aestas,
 31 hoc Nilo natura refert, totumque per orbem
 32 collectae partes unum revocantur in amnem ;
 33 quoque die Titana Canis flagrantior armat
 34 et rapit umores madidos venasque calore
 35 conpescit radiisque potentibus aestuat axis,
 36 Nilo bruma venit, contraria tempora mundo.
 37 Defectis solitum referens cultoribus aequor
 38 effluit Aegaeo stagnantior, acrior alto
 39 Ionio seseque patentibus explicat arvis.
 40 Fluctuat omnis ager ; remis sonuere novales ;
 41 saepius, aestivo jaceat cum forte sopore,
 42 cernit cum stabulis armenta natantia pastor.

DE MAGNETE

C_30 v.1 Quisquis sollicita mundum ratione secutus
 2 semina rimatur rerum, quo luna laborat
 3 defectu, quae causa jubet pallescere solem,
 4 unde rubescentes ferali crine cometae,
 5 unde fluant venti, trepidae quis viscera terrae
 6 concutiat motus, quis fulgura ducat hiatus,
 7 unde tonent nubes, quo lumine floreat arcus,
 8 hoc mihi quaerenti, si quid deprendere veri
 9 mens valet, expediat. Lapis est cognomina magnes
 10 decolor obscurus vilis. Non ille repexam
 11 caesariem regum, non candida virginis ornat
 12 colla nec insigni splendet per cingula morsu,
 13 sed nova si nigri videas miracula saxi,
 14 tum pulchros superat cultus et quidquid Eois
 15 Indus litoribus rubra scrutatur in alga.
 16 Nam ferro meruit vitam ferrique rigore
 17 vescitur ; hoc dulces epulas, hoc pabula novit ;
 18 hinc proprias renovat vires ; hinc fusa per artus
 19 aspera secretum servant alimenta vigorem ;
 20 hoc absente perit : tristi morientia torpent
 21 membra fame venasque sitis consumit apertas.
 22 Mavors, sanguinea qui cuspide verberat urbes,
 23 et Venus, humanas quae laxat in otia curas,
 24 aurati delubra tenent communia templi.
 25 Effigies non una deis, sed ferrea Martis
 26 forma nitet, Venerem magnetica gemma figurat.
 27 Illis conubium celebrat de more sacerdos ;
 28 ducit flamma choros ; festa frondentia myrto

29 limina cinguntur, roseisque cubilia surgunt
 30 floribus, et thalamum dotalis purpura velat.
 31 Hic mirum consurgit opus ; Cytherea maritum
 32 sponte rapit caelique toros imitata priores
 33 pectora lascivo flatu Mavortia nectit
 34 et tantum suspendit onus galeaeque lacertos
 35 implicat et vivis totum complexibus ambit.
 36 Ille lacessitus longo spiraminis actu
 37 arcanis trahitur gemma de conjuge nodis.
 38 Pronuba fit Natura deis ferrumque maritat
 39 aura tenax : subitis sociantur numina furtis.
 40 Quis calor infudit geminis alterna metallis
 41 foedera ? Quae duras jungit Concordia mentes ?
 42 Flagrat anhela silex et amicam saucia sentit
 43 materiem placitosque chalybs cognoscit amores.
 44 Sic Venus horrificum belli conpescere regem
 45 et vultu mollire solet, cum sanguine praeceps
 46 aestuat et strictis mucronibus asperat iras.
 47 Sola feris occurrit equis solvitque tumorem
 48 pectoris et blando praecordia temperat igni.
 49 Pax animo tranquilla datur, pugnasque calentes
 50 deserit et rutilas declinat in oscula cristas.
 51 Quae tibi, saeve puer, non est permissa potestas ?
 52 Tu magnum superas fulmen caeloque relicto
 53 fluctibus in mediis cogis mugire Tonantem.
 54 Jam gelidas rupes vivoque carentia sensu
 55 membra feris, jam saxa tuis obnoxia telis,
 56 et lapides suus ardor agit, ferrumque tenetur
 57 inlecebris : rigido regnant in marmore flammae.

LAUS SERENAE

C_31 v.1 Dic, mea Calliope, tanto cur tempore differs
 2 Pierio meritam serpto redimire Serenam ?
 3 Vile putas donum, solitam consurgere gemmis
 4 et rubro radiare mari si floribus ornes
 5 reginae regina comam ? Sed floribus illis,
 6 quos neque frigoribus Boreas nec Sirius urit
 7 aestibus, aeterno sed veris honore rubentes
 8 fons Aganippaea Permessius educat unda :
 9 unde piae pascuntur apes et prata legentes
 10 transmittunt saeculis Heliconia mella futuris.
 11 Dignius an vates alios exercuit unum
 12 femineae virtutis opus ? Consorte redempto
 13 casta maritali successit Thessala fato
 14 inque suos migrare virum non abnuit annos.
 15 Hoc Grai memorant. Latiis movet ora Camenis
 16 praescia fatorum Tanaquil, rediensque per undas
 17 Cloelia Thybrinas, et eodem flumine ducens
 18 Claudia virgineo cunctantem crine Cybelen.
 19 Anne aliud toto molitur carminis actu
 20 Maeonii mens alta senis ? Quod stagna Charybdis
 21 armavit. Quod Scylla canes, quod pocula Circe,
 22 Antiphatae vitata fames surdoque carina
 23 remige Sirenum cantus transvecta tenaces,
 24 lumine fraudatus Cyclops, contempta Calypso,
 25 Penelopae decus est, uni cui tanta paratur
 26 scaena pudicitiae. Terrae pelagique labores
 27 et totidem saevi bellis quot fluctibus anni

28 conjugii docuere fidem. Sit Claudia felix
29 teste dea castosque probet sub numine mores
30 absolvens puppisque moras crimenque pudoris ;
31 Penelope trahat arte procos fallatque furentes
32 stamina nocturnae relegens Laertia telae :
33 non tamen audebunt titulis certare Serenae.
34 Quod si nobilitas cunctis exordia pandit
35 laudibus atque omnes redeunt in semina causae,
36 quis venerabilior sanguis, quae major origo
37 quam regalis erit ? Non hoc privata dedere
38 limina nec tantum poterat contingere numen
39 angustis laribus : patruo te principe celsam
40 bellipotens inlustrat avus, qui signa Britanno
41 intulit Oceano Gaetulaque reppulit arma.
42 Claram Scipiadam taceat Cornelia gentem
43 seque minus jactet Libycis dotata tropaeis.
44 Cardine tu gemino laurus praetendis avitas :
45 inde Caledoniis, Australibus inde parentum
46 cingeris exuviis. Necdum moderamina mundi
47 sumpserat illa domus, cum te Lucina beatiss
48 ederet astrorum radiis, o maxima rerum
49 gloria : post genitam didicit regnare Serenam.
50 Quid dignum memorare tuis, Hispania, terris
51 vox humana valet ? Primo levat aequore solem
52 India : tu fessos exacta luce jugales
53 proluis inque tuo respirant sidera fluctu.
54 Dives equis, frugum facilis, pretiosa metallis,
55 principibus fecunda piis : tibi saecula debent
56 Trajanum ; series his fontibus Aelia fluxit ;
57 hinc senior pater, hinc juvenum diademata fratrum.
58 Namque aliae gentes, quas foedere Roma recepit
59 aut armis domuit, varios aptantur in usus
60 imperii : Phariae segetes et Punica messis
61 castrorum devota cibo ; dat Gallia robur
62 militis ; Illyricis undant equitatibus alae ;
63 sola novum Latiis vectigal Hiberia rebus
64 contulit Augustos. Fruges, aeraria, miles
65 undique conveniunt totoque ex orbe leguntur :
66 haec generat qui cuncta regant. Nec laude virorum
67 censeri contenta fuit, nisi matribus aequae
68 vinceret et gemino certatim splendida sexu
69 Flaccillam Mariamque daret pulchramque Serenam.
70 Te nascente ferunt per pingua culta tumentem
71 divitiis undasse Tagum ; Callaecia risit
72 floribus et roseis formosus Duria ripis
73 vellere purpureo passim mutavit ovile ;
74 Cantaber Oceanus vicino litore gemmas
75 expuit, effossis nec pallidus Astur oberrat
76 montibus ; oblatum sacris natalibus aurum
77 vulgo vena vomit, Pyrenaeisque sub antris
78 ignea flumineae legere ceraunia Nymphae ;
79 quaeque relabentes undas aestumque secutae
80 in refluos venere palam Nereides amnes
81 confessae plausu dominam cecinere futuris
82 auspiciis thalamis. Alio tum parvus in axe
83 crescebat Stilicho votique ignarus agebat,
84 debita cui longe conjunx penitusque remoto
85 orbe parabatur tanti concordia fati.

86 Nec tua mortalis meruit cunabula nutrix.
 87 Ubera prima dabant gremiis redolentibus Horae
 88 ternaque te nudis innectens Gratia membris
 89 adflavit docuitque loqui. Quacumque per herbam
 90 reptares, fulgere rosae, candentia nasci
 91 lilia ; si placido cessissent lumina somno,
 92 purpura surgebat violae, factura cubile
 93 gramineum, vernetque tori regalis imago.
 94 Omina non audet genetrix tam magna fateri
 95 successusque suos arcani conscia voti
 96 spe trepidante tegit. Gestabat Honorius arto
 97 te pater amplexu. Quotiens ad limina princeps
 98 Theodosius privatus adhuc fraterna veniret,
 99 oscula libabat teque ad sua tecta ferebat
 100 laetior. In matrem teneris conversa querellis
 101 "Quid ? Me de propriis auferre penatibus ! " inquis ;
 102 "imperat hic semper ! " Praesagia luserat error
 103 et dedit augurium regnis infantia linguae.
 104 Defuncto genitore tuo sublimis adoptat
 105 te patruus, magnique animo solacia luctus
 106 restituens propius quam si genuisset amavit
 107 defuncti fratris subolem ; nec carior olim
 108 mutua Ledaeos devinxit cura Laconas.
 109 Addidit et proprio germana vocabula nato
 110 quaque datur fratris speciem, sibi reddit adempti.
 111 Denique cum rerum summas electus habenas
 112 susciperet, non ante suis inpendit amorem
 113 pignoribus quam te pariter fidamque sororem
 114 litus ad Eoum terris acciret Hiberis.
 115 Deseritur jam ripa Tagi Zephyrique relictis
 116 sedibus Aurorae famulas properatur ad urbes.
 117 Incedunt geminae, proles fraterna, puellae,
 118 inde Serena minor, prior hinc Thermantia natu,
 119 expertes thalami, quarum Cythereia necdum
 120 sub juga cervices niveas Hymenaeus adegit.
 121 Utraque luminibus timidum micat, utraque pulchro
 122 excitat ore faces. Quales Latonia virgo
 123 et solo Jove nata soror cum forte revisunt
 124 aequorei sortem patrum (spumantia cedunt
 125 aequora castarum gressus venerata dearum ;
 126 non ludit Galatea procax, non improbus audet
 127 tangere Cymothoen Triton totoque severos
 128 indicit mores pelago pudor ipsaque Proteus
 129 arcet ab amplexu turpi Neptunia monstra) :
 130 tales sceptriferi visurae tecta parentis
 131 limen Honoriades penetrant regale sorores.
 132 Ambas ille quidem patrio complexus amore,
 133 sed merito pietas in te proclivior ibat.
 134 Et quotiens, rerum moles ut publica cogit,
 135 tristior aut ira tumidus flagrante redibat,
 136 cum patrem nati fugerent atque ipsa timeret
 137 commotum Flaccilla virum, tu sola frementem
 138 frangere, tu blando poteris sermone mederi !
 139 Adloquiis haerere tuis, secreta fideli
 140 [LACUNE]
 141 prisca puellares reverentia transilit annos.
 142 Non talem Triviae confert laudator Homerus
 143 Alcinoe genitam, quae, dum per litora vestes

144 explicat et famulas exercet laeta choreis,
 145 auratam jaculata pilam post naufraga somni
 146 otia progressum foliis expavit Ulixem.
 147 Pierius labor et veterum tibi carmina vatam
 148 ludus erat : quos Zmyrna dedit, quos Mantua libros
 149 percurrens damnas Helenam nec parcis Elissae.
 150 Nobiliora tenent animos exempla pudicos,
 151 Laodamia sequens remeantem rursus ad umbras
 152 Phylaciden et prona ruens Capaneia conjunx,
 153 communes ardente viro mixtura favillas,
 154 et gravis incumbens casto Lucretia ferro,
 155 vulnere quae proprio facinus testata tyranni
 156 armavit patriae justos in bella dolores :
 157 exule Tarquinio memorandaque concidit uno
 158 ulta pudicitiam libertatemque cruore.
 159 Talia facta libens non tu virtute minore,
 160 sed fato meliore legis. Jam nubilis aetas
 161 principe sollicito votis erexerat aulam
 162 incertis quem tanta tori fortuna maneret.
 163 Antiquos loquitur Musarum pagina reges,
 164 qui dira sub lege procos certare juberent,
 165 empturos thalamum dubii discrimine leti,
 166 et sua crudeles gauderent pignora mortis
 167 ambitione peti. Curru Pisaea marino
 168 fugit tela Pelops (nam perfidus obice regis
 169 prodidit Oenomai deceptum Myrtilus axem) ;
 170 Hippomenes trepidus cursu ferroque secutam
 171 aurato volucrem flexit Schoeneida pomo ;
 172 Herculeas vidit fluvio luctante palaestras
 173 moenibus ex altis Calydon pretiumque labori
 174 Dejanira fuit, cum pectore victor anhelato
 175 Alcides fremeret retroque Achelous abiret
 176 decolor : attonitae stringebant vulnere Nymphae ;
 177 saucia truncato pallebant flumina cornu.
 178 Te non Hesperidum pomis, non amne subacta,
 179 non socerum fallente rota, sed iudice dignus
 180 Augusto variis Stilicho spectatus in armis
 181 accipit et regni dotes virtute paravit.
 182 Saepe duces meritis bello tribuere coronas :
 183 hunc cingit muralis honos ; hunc civica quercus
 184 nexuit ; hunc domitis ambit rostrata carinis ;
 185 solus militiae mira mercede jugalem
 186 promeruit Stilicho socero referente coronam.
 187 Agnovit patrum similem Thermantia curam :
 188 nupsit et illa duci ; sed longe fata sororis
 189 inferiora tuis. Alio tibi lumine taedas
 190 accendit Romana Salus magnisque coronis
 191 conjugium fit causa tuum. Dilectus equorum,
 192 quos Phrygiae matres Argaeaque gramina pastae
 193 semine Cappadocum sacris praesepebus edunt,
 194 primus honos. Gemino mox inde e germine duxit
 195 agmina commissosque labor sic gessit honores
 196 ut semper merito princeps, cum magna dedisset,
 197 deberet majora tamen. Si bellica nubes
 198 ingrueret, quamvis annis et jure minori
 199 cedere grandaevos equitum peditumque magistros
 200 aspiceres totumque palam permittere Martem,
 201 nec gradus aetatisque pudor senioribus obstat

202 ne juveni parere velint. Ceu flamine molli
 203 tranquillisque fretis clavum sibi quisque regendum
 204 vindicat ; incumbat si turbidus Auster et unda
 205 pulset utrumque latus, posito certamine nautae
 206 contenti meliore manu seseque pavere
 207 confessi (finem studiis fecere procellae) :
 208 haud aliter Stilicho, fremuit cum Thracia belli
 209 tempestas, cunctis pariter cedentibus unus
 210 eligitur ductor. Suffragia quippe peregit
 211 iudex vera timor ; victus ratione salutis
 212 ambitus et pulsus jacuit formidine livor.
 213 Quis tibi tum per membra tremor quantaequae cadebant
 214 ubertim lacrimae, cum saeva vocantibus arma
 215 jam lituis madido respectans limina vultu
 216 optares reducem galeaeque inserta minaci
 217 oscula cristati raperes festina mariti !
 218 Gaudia quae rursus, cum post victricia tandem
 219 classica sidereas ferratum pectus in ulnas
 220 exciperes, castae tuto per dulcia noctis
 221 otia pugnarum seriem narrare juberis !
 222 Non illo nitidos umquam bellante capillos
 223 comere, non solitos gemmarum sumere cultus :
 224 numinibus votisque vacas et supplice crine
 225 verris humum ; teritur neglectae gratia formae,
 226 cum proprio reditura viro. Nec deside cura
 227 segnis marcet amor : laudem prudentia belli
 228 feminea pro parte subit. Dum gentibus ille
 229 confligit, vigili tu prospicis omnia sensu,
 230 ne quid in absentem virtutibus obvia semper
 231 audeat invidiae rabies neu fervor iniquus,
 232 ne qua procul positis furto subsederit armis
 233 calliditas nocitura domi. Tu sedula quondam,
 234 Rufino meditante nefas, cum quaereret artes
 235 in ducis exitium conjuratosque foveret
 236 contra pila Getas, motus rimata latentes
 237 mandatis tremebunda virum scriptisque monebas.

EPISTULA AD SERENAM

C_32 v.1 Orpheia cum primae sociarent numina taedae
 2 ruraque conpleret Thracia festus Hymen,
 3 certavere ferae picturataeque volucres
 4 dona suo vati quae potiora darent,
 5 quippe antri memores, cautes ubi saepe sonorae
 6 praebuerant dulci mira theatra lyrae :
 7 Caucaseo crystalla ferunt de vertice lynces,
 8 grypes Hyperborei pondera fulva soli ;
 9 furatae Veneris prato per inane columbae
 10 florea conexis sarta tulere rosis,
 11 fractaque nobilium ramis electra sororum
 12 cygnus oloriferi vexit ab amne Padi,
 13 et Nilo Pygmaea grues post bella remenso
 14 ore legunt rubri germina cara maris ;
 15 venit et extremo Phoenix longaevus ab Euro
 16 adportans unco cinnama rara pede :
 17 nulla avium pecudumque fuit quae ferre negaret
 18 vectigal meritae conjugiale lyrae.
 19 Tunc opibus totoque Heliconis sedula regno
 20 ornabat propriam Calliopea nurum.

21 Ipsam praeterea dominam stellantis Olympi
 22 ad nati thalamos ausa rogare parens.
 23 Nec spreuit regina deum, vel matris honore
 24 vel justo vatis ducta favore pii,
 25 qui sibi carminibus totiens lustraverat aras
 26 Junonis blanda numina voce canens
 27 proeliaque altisoni referens Phlegraea mariti,
 28 Titanum fractas Enceladique minas.
 29 Illicet adventu noctem dignata jugalem
 30 addidit augendis munera sacra toris,
 31 munera mortales non admittentia cultus,
 32 munera quae solos fas habuisse deos.
 33 Sed quod Threicio Juno placabilis Orphei,
 34 hoc poteris votis esse, Serena, meis.
 35 Illius expectant famulantia sidera nutum :
 36 sub pedibus regitur terra fretumque tuis.
 37 Non ego, cum peterem, sollemni more procorum
 38 promisi gregibus pascua plena meis,
 39 nec quod mille mihi lateant sub palmitibus colles
 40 fluctuet et glauca pinguis oliva coma,
 41 nec quod nostra Ceres numerosa falce laboret
 42 aurataeque ferant culmina celsa trabes.
 43 Suffecit mandasse deam : tua littera nobis
 44 et pecus et segetes et domus ampla fuit.
 45 Inflexit soceros et majestate petendi
 46 texit pauperiem nominis umbra tui.
 47 Quid non perficeret scribentis voce Serenae
 48 vel genius regni vel pietatis amor ?
 49 Atque utinam sub luce tui contingeret oris
 50 conjugis et castris et solio generi
 51 optatum celebrare diem ! Me jungeret auspex
 52 purpura, me sancto cingeret aula choro,
 53 et mihi quam scriptis desponderat ante puellam
 54 conjugis eadem pronuba dextra daret.
 55 Nunc medium quoniam votis majoribus aequor
 56 invidet et Lybicae dissidet ora plagae,
 57 saltem absens, regina, fave redivisusque secundos
 58 adnue sidereo laeta supercilio.
 59 Terrarum tu pande vias, tu mitibus Euris
 60 aequora pacari prosperiora jube,
 61 ut tibi Pierides doctumque fluens Aganippe
 62 debita servato vota cliente canat.

DE SALVATORE

C_33 v.1 Christe potens rerum, redeuntis conditor aevi,
 2 vox summi sensusque dei, quem fudit ab alta
 3 mente pater tantique dedit consortia regni,
 4 in pia qui nostrae domuisti crimina vitae
 5 passus corporea mundi vestire figura
 6 adfarique palam populos hominemque fateri
 7 quemque utero inclusum Mariae mox numine viso
 8 virginei timere sinus, innuptaque mater
 9 arcano stupuit conpleri viscera partu
 10 auctorem paritura suum (mortalia corda
 11 artificem texere poli, mundique repertor
 12 pars fuit humani generis, latuitque sub uno
 13 pectore, qui totum late complectitur orbem,
 14 et qui non spatiis terrae, non aequoris unda,

15 non capitur caelo, parvos confluit in artus) ;
 16 quin et supplicii nomen nexusque subisti
 17 ut nos subriperes leto mortemque fugares
 18 morte tua, mox aetherias evector in auras
 19 purgata repetens laetum tellure parentem :
 20 Augustum foveas, festis ut saepe diebus
 21 annua sinceri celebret jejunia sacri.

DE CRYSTALLO CVI AQVA INERAT

C_34 v.1 Possedit glacies naturae signa prioris
 2 et fit parte lapis, frigora parte negat.
 3 Sollers lusit hiemps, imperfectoque rigore
 4 nobilior vivis gemma tumescit aquis.

DE EODEM

C_35 v.1 Lymphae, quae tegitis cognato carcere lymphas,
 2 et quae nunc estis quaeque fuistis aquae,
 3 quod vos ingenium vinxit ? Qua frigoris arte
 4 torpuit et maduit prodigiosa silex ?
 5 Quis tepor inclusus securas vindicat undas ?
 6 Interior glacies quo liquefacta Noto ?
 7 Gemma quibus claustris arcano mobilis aestu
 8 vel concreta fuit vel resoluta gelu ?

DE EODEM

C_36 v.1 Solibus indomitum glacies Alpina rigorem
 2 sumebat nimio jam pretiosa gelu
 3 nec potuit toto mentiri corpore gemmam,
 4 sed medio mansit proditor orbe latex.
 5 Auctus honos ; liquidi crescunt miracula saxi,
 6 et conservatae plus meruistis aquae.

DE EODEM

C_37 v.1 Aspice porrectam splendenti fragmine venam,
 2 qua trahitur limes lucidiore gelu.
 3 Hic nullum Borean nec brumam sentit opacus
 4 umor, sed varias itque reditque vias.
 5 Non illum constrinxit hiems, non Sirius hausit,
 6 aetatis spatium non tenuavit edax.

DE EODEM

C_38 v.1 Clauditur immunis convexo tegmine rivus
 2 duratisque vagus fons operitur aquis.
 3 Nonne vides propriis ut spumet gemma lacunis
 4 et refluos ducant pocula viva sinus
 5 udaeque pingatur radiis obstantibus Iris,
 6 secretas hiemes sollicitante die ?
 7 Mira silex mirusque latex ! Et flumina vincit
 8 et lapides merito, quod fluit et lapis est.

DE EODEM

C_39 v.1 Dum crystallae puer contingere lucida gaudet
 2 et gelidum tenero pollice versat onus,
 3 vidit perspicuo deprensas marmore lymphas,
 4 dura quibus solis parcere novit hiems,
 5 et siccum relegens labris sitientibus orbem
 6 inrita quaesitis oscula fixit aquis.

DE EODEM

C_40 v.1 Marmoreum ne sperne globum : spectacula transit
 2 regia nec rubro vilior iste mari.
 3 Informis glacies, saxum rude, nulla figurae
 4 gratia, sed raras inter habetur opes.

EPISTVLA AD OLIBRIVM

C_41 v.1 Quid rear, adfatus quod non mihi derigis ullos
 2 nec redit alterno pollice ducta salus ?
 3 Scribendine labor ? Sed cui tam prona facultas,
 4 carmina seu fundis seu Cicerone tonas ?
 5 Cedere divitiis animi fortuna fatetur
 6 et tantas oris copia vincit opes.
 7 An rarus qui scripta ferat ? Quin tempore nullo
 8 cessant Flaminiae pulverulenta viae.
 9 Cum fluat ingenium, cum sit qui dicta reportet,
 10 quae, nisi contemnor, causa relicta tibi ?
 11 Despicias ergo tuum, si fas est credere, vatem,
 12 perfidus et spatio debilitatur amor ?
 13 Excidimusne tibi ? Lucem jam condet Hydaspes
 14 et Tartesiaco, Sol, oriere vado,
 15 candescet Geticis Meroe conversa pruinis
 16 claraque se vetito proluet Ursa mari,
 17 et, si jam nostros fastidit Olybrius ignes,
 18 constat Oresteam nil valuisse fidem.
 19 Quin age rumpe moras solaturusque sodalem
 20 absens eloquio fertilior doce,
 21 crebraque facundo festinet littera cursu
 22 auribus atque animis insinuanda meis.
 23 Dignatus tenui Caesar scripsisse Maroni.
 24 Nec tibi dedecori sit mea Musa. Vale.

EPISTVLA AD PROBINVM

C_42 v.1 Quem, precor, inter nos habitura silentia finem ?
 2 Quando dabit caras littera grata vices ?
 3 Me timidum vel te potius dixisse superbum
 4 convenit ? Alterius crimen utrumque tenet.
 5 Transfluxere dies et, dum scripsisse priorem
 6 paenitet, aeternas itur in usque moras.
 7 Sed quid agam ? Coepisse vetat reverentia vestri :
 8 hinc amor hortatur scribere. Vincat amor.
 9 "Fors juvat audentes" prisca sententia vatis.
 10 Hac duce non dubitem te reticente loqui,
 11 audax ut, si quid penitus peccasse videbor,
 12 arguar, ingrati non subiturus onus.
 13 Romanos bibimus primum te consule fontes
 14 et Latiae cessit Graia Thalia togae,
 15 incipiensque tuis a fascibus omina cepi
 16 fataque debebo posteriora tibi.
 17 Ergo lacessitus tandem rescribe roganti,
 18 et patria florens sorte, Probine, vale.

DE APRO ET LEONE

C_43 v.1 Torvus aper fulvusque leo coiere superbis
 2 viribus, hic saeta saevior, ille juba.
 3 Hunc Mars, hunc laudat Cybele. Dominatur uterque
 4 montibus ; Herculeus sudor uterque fuit.

IN CVRETIVM

C_44 v.1 Fallaces vitreo stellas componere mundo
 2 et vaga Saturni sidera saepe queri
 3 venturumque Jovem paucis promittere nummis
 4 Cureti genitor noverat Uranius.
 5 In prolem dilata ruunt perjuriam patris
 6 et poenam merito filius ore luit ;
 7 nam spurcos avidae lambit meretricis hiatus,
 8 consumens luxu flagitiisque domum,
 9 et quas fallacis collegit lingua parentis,
 10 has eadem nati lingua refundit opes.

IN EVNDEM CVRETIVM

C_45 v.1 Si tua, Cureti, penitus cognoscere quaeris
 2 sidera, patre tuo certius ipse loquar.
 3 Quod furis, adversi dedit inclementia Martis ;
 4 quod procul a Mysis, debilis Arcas erat ;
 5 quod turpem pateris jam cano podice morbum,
 6 femineis signis Luna Venusque fuit ;
 7 adtrivit Saturnus opes. Hoc prorsus in uno
 8 haereo : quae cunnum lambere causa facit ?

DE CONCHA SERENAE

C_46 v.1 Transferat huc liquidos fontes Heliconia Nais
 2 et patulo conchae divitis orbe fluat ;
 3 namque latex doctae qui laverit ora Serenae
 4 ultra Pegaseas numen habebit aquas.

DE CHLAMYDE ET FRENIS EQVI HONORIO AVGVSTO A SERENA MISSIS

C_47 v.1 Non semper clipei metuendum gentibus orbem
 2 dilecto studiosa parens fabricabat Achilli,
 3 Lemnia nec semper supplex ardentis adibat
 4 antra dei, nato galeam factura comantem,
 5 sed placidos etiam cinctus et mitia pacis
 6 ornamenta dabat, bello quibus ille peracto
 7 conspicuus reges inter fulgeret Achivos.
 8 Ipsa manu chlamydes ostro texebat et auro,
 9 frenaque quae volucrem Xanthum Baliumque decorent
 10 aequore quaesitis onerabat sedula gemmis.
 11 At tibi diversis, princeps altissime, certant
 12 obsequiis soceri. Stilicho Mavortia confert
 13 munera, barbaricas strages Rhenique triumphos.
 14 Reginae contenta modum servare Serena
 15 in tua sollicitas urget velamina telas.

DE FRENO PHALERIS ET CINGVLO EQVI HONORIO AVGVSTO A SERENA MISSIS

C_48 v.1 O felix sonipes, tanti cui frena mereri
 2 numinis et sacris licuit servire lupatis,
 3 seu tua per campos vento juba lusit Hiberos,
 4 seu te Cappadocum gelida sub valle natantem
 5 Argaeae lavere nives, seu laeta solebas
 6 Thessaliae rapido perstringere pascua cursu,
 7 accipe regales cultus et crine superbus
 8 erecto virides spumis perfunde zmaragdos.
 9 Luxurient tumido gemmata monilia collo,
 10 nobilis auratos jam purpura vestiat armos,
 11 et medium te zona liget variata colorum
 12 floribus et castae manibus sudata Serenae,

13 Persarum gentile decus. Sic quippe laborat
 14 maternis studiis nec dedignatur equestres
 15 moliri phaleras, genero latura decorem.

C_49 v.1 DE ZONA EQVI REGII MISSA HONORIO AVGVSTO A SERENA
 2 Accipe, parva tuae, princeps venerande, sororis
 3 munera, quae manibus texuit ipsa suis,
 4 dumque auro phalerae, gemmis dum frena reident,
 5 hac uterum zona cinge frementis equi,
 6 sive illum Armeniis aluerunt gramina campis
 7 turbidus Argaea seu nive lavit Halys,
 8 sanguineo virides morsu vexare zmaragdos
 9 et Tyrio dignum terga rubere toro.
 10 O quantum formae sibi conscius erigit armos
 11 spargit et excussis colla superba jubis !
 12 Augescit brevitatis doni pietate Serenae,
 13 quae volucres etiam fratribus ornat equos.

C_50 v.1 DE TORPEDINE
 2 Quis non indomitam dirae torpedinis artem
 3 audiit et merito signatas nomine vires ?
 4 Illa quidem mollis segnique obnoxia tractu
 5 reptat et adtritis vix languida serpit harenis.
 6 Sed latus armavit gelido natura veneno
 7 et frigus, quo cuncta rigent animata, medullis
 8 miscuit et proprias hiemes per viscera duxit.
 9 Naturam juvat ipsa dolis et conscia sortis
 10 utitur ingenio longaeque extenta per algas
 11 attactu confisa subit. Immobilis haeret
 12 qui tetigere jacent. Successu laeta resurgit
 13 et vivos inpune ferox depascitur artus.
 14 Si quando vestita cibus incautior aera
 15 hauserit et curvis frenari senserit hamis,
 16 non fugit aut vano conatur vellere morsu,
 17 sed propius nigrae jungit se callida saetae
 18 et meminit captiva sui longaeque per undas
 19 pigra venenatis effundit flamina venis.
 20 Per saetam vis atra meat fluctusque relinquit,
 21 absentem victura virum : metuendus ab imis
 22 emicat horror aquis et pendula fila secutus
 23 transit harundineos arcano frigore nodos
 24 victricemque ligat concreto sanguine dextram.
 25 Damnosum piscator onus praedamque rebellem
 jactat et amissa redit exarmatus avena.

C_51 v.1 IN IACOBVM MAGISTER EQVITVM
 2 Per cineres Pauli, per cani limina Petri,
 3 ne laceres versus, dux Iacobe, meos.
 4 Sic tua pro clipeo sustentet pectora Thomas
 5 et comes ad bellum Bartholomaeus eat ;
 6 sic ope sanctorum ne barbarus inruat Alpes,
 7 sic tibi det vires sancta Susanna suas ;
 8 sic quicumque ferox gelidum tranaverit Istrum,
 9 mergatur volucres ut Pharaonis equi ;
 10 sic Geticas ultrix feriat rhomphaea catervas
 11 Romanasque regat prospera Thecla manus ;
 12 sic tibi det magnum moriens conviva triumphum
 atque tuam vincant dolia fusa sitim ;

13 sic numquam hostili maculetur sanguine dextra :
 14 ne laceres versus, dux Iacobe, meos.

IN SPHAERAM ARCHIMEDIS

C_52 v.1 Juppiter in parvo cum cerneret aethera vitro,
 2 risit et ad superos talia dicta dedit :
 3 " Hucine mortalis progressa potentia curae ?
 4 Jam meus in fragili luditur orbe labor ?
 5 Jura poli rerumque fidem legesque dierum
 6 ecce Syracosius transtulit arte senex.
 7 Inclusus variis famulatur spiritus astris
 8 et vivum certis motibus urget opus.
 9 Percurrit proprium mentitus Signifer annum,
 10 et simulata novo Cynthia mense redit.
 11 Jamque suum volvens audax industria mundum
 12 gaudet et humana sidera mente regit.
 13 Quid falso insontem tonitru Salmonea miror ?
 14 Aemula naturae parva reperta manus. "

GIGANTOMACHIA

C_53 v.1 Terra parens quondam caelestibus invida regnis
 2 Titanumque simul crebros miserata dolores
 3 omnia monstriifero conplebat Tartara fetu,
 4 invisum genitura nefas, Phlegramque retexit
 5 tanta prole tumens et in aethera protulit hostes.
 6 Fit sonus : erumpunt Erebo necdumque creati
 7 jam dextras in bella parant superosque laccessunt
 8 stridula volventes gemino vestigia lapsu.
 9 Pallescunt subito stellae flectitque rubentes
 10 Phoebus equos docuitque timor revocare meatus.
 11 Oceanum petit Arctos inocciduique Triones
 12 occasum didicere pati. Tum fervida natos
 13 talibus hortatur genetrix in proelia dictis :
 14 "O pubes domitura deos, quodcumque videtis,
 15 pugnando dabitur ; praestat victoria mundum.
 16 Sentiet ipse meas tandem Saturnius iras,
 17 cognoscet quid Terra potest, si viribus ullis
 18 vincor, si Cybele nobis meliora creavit.
 19 Cur nullus Telluris honos ? Cur semper acerbis
 20 me damnis urgere solet ? Quae forma nocendi
 21 defuit ? Hinc volucrem vivo sub pectore pascit
 22 infelix Scythica fixus convalle Prometheus ;
 23 hinc Atlantis apex flammantia pondera fulcit
 24 et per canitiem glacies asperrima durat.
 25 Quid dicam Tityon, cujus sub vulture saevo
 26 viscera nascuntur gravibus certantia poenis ?
 27 Sed vos, o tandem veniens exercitus ultor,
 28 solvite Titanas vinclis, defendite matrem.
 29 Sunt freta, sunt montes : nostris ne parcite membris ;
 30 in Jovis exitium telum non esse recuso.
 31 Ite, precor, miscete polum, rescindite turres
 32 sidereas. Rapiat fulmen sceptrumque Typhoeus ;
 33 Enceladi jussis mare serviat ; Otus habenas
 34 Aurorae pro Sole regat ; te Delphica laurus
 35 stringat, Porphyriion, Cirrhaeaeque templa teneto".
 36 His ubi consiliis animos elusit inanes,
 37 jam credunt vicisse deos mediisque revinctum
 38 Neptunum traxisse fretis ; hic sternere Martem

39 cogitat, hic Phoebi laceros divellere crines ;
40 hic sibi promittit Venerem speratque Dianae
41 conjugium castamque cupit violare Minervam.
42 Interea superos praenuntia convocat Iris,
43 qui fluvios, qui stagna colunt, cinguntur et ipsi
44 auxilio Manes ; nec te, Proserpina, longe
45 umbrosae tenuere fores ; rex ille silentum
46 Lethaeo vehitur curru lucemque timentes
47 insolitam mirantur equi trepidoque volatu
48 spissas caeruleis tenebras e naribus efflant.
49 Ac, velut hostilis cum machina terruit urbem,
50 undique concurrunt arcem defendere cives,
51 haud secus omnigenis coeuntia numina turmis
52 ad patrias venere domos. Tum Juppiter inquit :
53 "O numquam peritura cohors, o debita semper
54 caelo progenies, nullis obnoxia fati,
55 cernitis ut nostrum Tellus conjuret in orbem
56 prole nova dederitque alios interrita partus ?
57 Ergo quot dederit natos, tot funera matri
58 reddamus. Longo maneat per saecula luctu,
59 tanto pro numero paribus damnata sepulchris".
60 Jam tuba nimborum sonuit, jam signa ruendi
61 his Aether, his Terra dedit, confusaque rursus
62 pro domino Natura timet. Discrimina rerum
63 miscet turbo potens : nunc insula deserit aequor,
64 nunc scopuli latuere mari. Quot litora restant
65 nuda ! Quot antiquas mutarunt flumina ripas !
66 Hic rotat Haemoniam praeduris viribus Oeten ;
67 hic juga conixus manibus Pangaea coruscat ;
68 hunc armat glacialis Athos ; hoc Ossa movente
69 tollitur ; hic Rhodopen Hebri cum fonte revellit
70 et socias truncavit aquas summaque levatus
71 rupe Giganteos umeros inrorat Enipeus :
72 subsidit patulis Tellus sine culmine campis,
73 in natos divisa suos. Horrendus ubique
74 it fragor et pugnae spatium discriminat aer.
75 Primus terrificum Mavors non segnis in agmen
76 Odrysius inpellit equos, quibus ille Gelonos
77 sive Getas turbare solet : splendentior igni
78 aureus ardescit clipeus, galeamque nitentes
79 arrexere jubae. Tum concitus ense Pelorum
80 transigit adverso, femorum qua fine volutus
81 duplex semiferi conectitur ilibus anguis,
82 atque uno ternas animas interficit ictu.
83 Dum superinsultans avidus languentia curru
84 membra terit multumque rotae sparsere cruoris,
85 accurrit pro fratre Mimans Lemnumque calentem,
86 cum lare Vulcani spumantibus eruit undis,
87 et prope torsisset, si non Mavortia cuspis
88 ante terebrato cerebrum fudisset ab ore.
89 Ille, viro toto moriens, serpentibus imis
90 vivit adhuc stridore ferox et parte rebelli
91 victorem post fata petit. Tritonia virgo
92 prosilit ostendens rutila cum Gorgone pectus ;
93 aspectu contenta suo non utitur hasta
94 (nam satis est vidisse semel) primumque furentem
95 longius in faciem saxi Pallanta reformat.
96 Ille procul subitis fixus sine vulnere nodis

97 ut se letifero sensit durescere visu
98 (et steterat jam paene lapis), "Quo vertimur ? " inquit,
99 "Quae serpit per membra silex ? Quis torpor inertem
100 marmorea me peste ligat ? ". Vix pauca locutus,
101 quod timuit, jam totus erat ; saevusque Damastor,
102 ad depellendos jaculum cum quaereret hostes,
103 germani rigidum misit pro rupe cadaver.
104 Hic vero interitum fratris miratus Echion,
105 inscius auctorem dum vult temptare nocendo,
106 te, dea, respexit, solam quam cernere nulli
107 bis licuit. Meruit sublata audacia poenas
108 et didicit cum morte deam. Sed turbidus ira
109 Palleneus, oculis aversa tuentibus atrox,
110 ingreditur caecasque manus in Pallada tendit.
111 Hunc mucrone ferit dea comminus ; ac simul angues
112 Gorgoneo riguere gelu corpusque per unum
113 pars moritur ferro, partes periere videndo.
114 Ecce autem medium spiris delapsus in aequor
115 Porphyryon trepidam conatur rumpere Delon,
116 scilicet ad superos ut torqueat improbus axes.
117 Horruit Aegaeus ; stagnantibus exilit antris
118 longaevo cum patre Thetis desertaque mansit
119 regia Neptuni famulis veneranda profundis.
120 Exclamant placidae Cynthi de vertice Nymphae,
121 Nymphae quae rudibus Phoebum docuere sagittis
122 errantes agitare feras primumque gementi
123 Latonae struxere torum, cum lumina caeli
124 parturiens geminis ornaret fetibus orbem.
125 Inplorat Paeana suum conterrita Delos
126 auxiliumque rogat : "Si te gratissima fudit
127 in nostros Latona sinus, succurre precanti.
128 En iterum convulsa feror [LACUNE]